

## Miscellen.

### Coniectanea.

I Iuvenalis ubi pulcritudinem optari vetat quia periculosa sit, X 294 *cuperet* inquit *Rutilae Verginia gibbum accipere atque suum Rutilae dare*. restitui *suum* ex optimo codice, superiores ediderant *suam* supplerique voluerant *faciem* commemoratam in enuntiato alio in exemplo Lucretiae, id quod nec sermo nec ratio ut fiat permittit, quoniam ita disturbatur Rutilae et Verginiae inter se comparatio. putaram quod restitui, id nullo negotio emunctae naris homines intellecturos esse agniturosque facetias dignas satura. fefellit opinio, nam Andreas Weidner in emendationibus Iuvenalianis Trem. 1887 p. 25 *suum* ullo modo tolerari posse negavit. dicam igitur equidem quo modo defendam. gibbus cum soleat esse dorsualis, tamen aliarum quoque partium tumor exstantium vocatur, ut ab ipso Iuvenale VI 109 *mediis in naribus ingens gibbus*. idem valere gibbum vel gibber quod graece ὄβον Servius Verg. georg. I 138 refert, Aristoteles autem de camelorum tuberibus disserens hist. anim. II p. 499 a 16 quasdam adicit habere ὄβον τοιοῦτον οἶον ἄνω ἐν τοῖς κάρω. similiter Iuvenalis in isto versu gibbos distinguit posticum et anticum, contra eum qui tergo inhaeret inducit pectoralem. ille usitatus in sermonibus ac foedus adspectu Rutilae est, Verginia quippe cui 'tales tumor excitet papillas quales cruda viro puella servat' (Martialis VIII 64, 10) hunc pro illo Rutilae dare cuperet gibbum mammatum scilicet inlecebris Appique libidine damnosum. meminerimus in proverbio esse Latinis *ubi uber ibi tuber*, a Graecis eminentia terrarum vel exuberantia vocari *μαστούς*.

II Persius ut liberum non esse hominem ambitiosum demonstret, V 175 sic interrogat: *ius habet ille sui, palpo quem ducit hiantem cretata ambitio?* solebant *palpo* ad superiora referre coniunctum cum *ille* sic ut *ille erro* vel *nebulo*, neque tamen ullum nominis huius exemplum innotuit et incisio versus ac subsequens enuntiatio ut isto quem vides modo mutetur distinctio suadet: *palpo* hominem ambitio percutit, suis blanditiis ita obstupefacit ut hiante ore sequatur quo illa ducit. loquitur dux *cicer ingere large rixanti populo, nostra ut Floralia possint aprici meminisse senes*. non recte hoc loco utuntur qui urbis Romae ludis enarrandis eum adhibent. Persius 'municipalis eques' siqua in saturis politica tangit, non ad forum Romanum respicere solet sed ad oppidanos

mores aut paganos. illud dictum clare inlustrat titulus repertus Albae Marsorum CIL. IX 3947 et vicissim Persius titulum, ibi enim *L. Septimio Philadespoto pro suis meritis et Floralibus cipp(us) p(o-situs)* fertur sepulcralis. in Samniticis regionibus Flusasia religio quanto opere vigerit inscriptiones docent, ciceris largitionem Horatius sat. II 3, 181 aedili adsignat praetorive Canusino.

III Lucilius in itinere Siciliensi (Charisii p. 72, 10 Baehrensianae sylloges fr. 103) 'ligna pluraliter dicit, *student hi ligna videte*'. nondum emendata sunt verba probabiliter, diverbii indicium non tollendum censeo. Horatius in itinere Brundisino *villula tectum praebuit inquit et parochi quae debent ligna salemque*. Cicero in Cilicia *noluit quod lege Julia dari solet accipere, ne ligna quidem*. hinc certum mihi fit *dent*, et quamquam praemitti potest *ut, ex codicis tamen litteris praestat hoc effingere si dent hi ligna, videte*.

idem Lucilius libro XXVIII (Nonii p. 239, 15 Baehr. 585): *agite agite fures mendaci argutamini*. praescripsit vetus auctor *argutum audax, malitiosum*. non dubito quin tralaticium verbum novo sale spargens dixerit Lucilius *fures mendaci arguta manu*. Laberius manuarium vocavit furem et *manuatus est* pro *furatus est*, Plautus furtificas manus et Cicero manus furacissimas. interpretatio quidem Noniana vacillat, si quidem digitorum exsertorum callidam gesticulationem in furibus Lucilius notavit, sed id quis miretur? velut poeta in descriptione itineris hunc versum posuerat 96 B. *cernuus extemplo plantas convestit honestas*, Nonius nihil aliud quam *cernuus dicitur proprie inclinatus quasi quod terram cernat*, at Paulus Festi et Isidorus id nomen calceolis quibusdam aut soccis fuisse testantur. manifesto poeta calceamentum significat parum honestum, agrestem opinor  $\kappa\alpha\beta\beta\alpha\tau\iota\nu\nu$ .

IV In colonia Traiana Thamugadi Numidiae in foro hoc exstat elogium CIL. VIII 2391 *Vocontio: P. Fl. Pudenti Pomponiano c(larissimo) v(iro) erga civeis patriamque prolixae cultori exercitiis militaribus effecto, multifariam loquentes litteras ampliandi, Atticam facundiam adaequant Romano nitori, ordo incola fontis patrono oris uberis et fluentis, nostr[o] alteri fonti*. litterati huius fontis in libris tenuissima apparet venula. Iulius Romanus Charisii p. 145, 29 *tores Servilius, ut etiam Fl. Pomponianus notat, aureus tores pro torques*. aetate Pomponianum putes posteriorem Frontone supparem Romano, fontem suum Thamugadenses splendide exornarant anno 214 (CIL. VIII 2369. 2370). Servilium intellego Nonianum tutorem Persii, historiis eius convenit doni militaris memoria, *aureus* ut scribi oportet *torces*.

Bonnae.

F. B.